



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 4. Traditionibus ut usucapionibus Dominia rerum, non nudis
pactis transferuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Praxis.

Hinc deducitur 1. Pisces, volucres, & feras, quæ in locis nullius Domini certi Dominio subjectis capiuntur, jure Gentium ad capientem pertinere, uti Laym. l. c. ex communi locet.

Deducitur 2. Etiam bona derelicta, quæ Dominus ea mente abiecit, ut in numero rerum suarum esse nolit, ad primo occupantem pertinere, uti ex §. Hoc ampliùs. Instit. de herem divis. colligitur.

Deducitur 3. Res inventas, quarum Dominus nullus existat, aut ignoratur, & cognosci non potest, ad Inventorem pertinere juxta probabilem sententiam, cum neque jure naturali, neque Ecclesiastico videantur Inventores obligari ad alios res Pauperibus tribuendas, ut multi cum S. Thoma videntur, teste Laym. n. 24.

PRINCIPIUM IV.

Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.

Sensus.

Hoc est, ad hoc, ut aliquis perfectum alicujus rei Dominium acquirat, non sufficit, ut Titulum solum, vel solam traditionem alicujus rei habeat, sed utrumque requiritur, nisi aliud in jure statuatur.

Authoritas.

Desumptum est ex le: 20. Cod. de pactis. Item ex le: 31. de acquirendo dominio, ubi dicitur, etiam traditionem solum non sufficere.

Ratio.

Quia per Titulum solum sine traditione acquiritur ordinè solum actio Personalis adversus Possessorem, non autem realis, nisi aliud Leges decernant, sicuti faciunt in beneficiis Ecclesiasticis, adita hæreditate, donationibus, quæ fiunt in Ecclesiis, & aliis piis locis, & aliis nonnullis casibus, quos videre est apud Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 8.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si uni res aliqua sit vendita, & alteri posterius

posteriùs simul vendita & tradita, hunc posteriorem Dominium rei acquirere, uti expresse in le: Quotiens. Cod. de vindic. insinuatur.

Deducitur 2. Si Personæ alicui particulari res aliqua donetur, & postea alteri donetur, & tradatur, donum hoc ad istam, & non ad priorem Personam pertinere, uti Glossa Baldi sup. leg. Quotiens cit. resolvit his verbis: Ille est prior in Dominio, cui res priùs traditur, licet alius in Titulo prævenerit.

Deducitur 3. Si domus alicui nudâ conventionem, aliter verò etiam cum traditione locata sit, non posse hunc posteriorem à priore de sua possessione deturbari.

PRINCIPIUM V.

Nemo potest plùs Juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.

Sensus.

Hoc est, nemo potest alicui ampliorem de re aliqua disponendi facultatem concedere, quàm ipse priùs habuerit.

Authoritas.

Desumptum est ex le: 6. decret. c. ult. reg. 79. Item ex reg. 58. ff. de reg. Juris, illudque explicant, & defendunt Decius, Dynus, Canisius, & Barb. axiom. 135. & 160.

Ratio.

Quia nemo dat, quod non habet, ut in cap. Quod autem 5. de Jure Patronatus dicitur, ergo nec plùs dare potest, quàm habeat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si aliqua terra data alicui fuerit in Fidei, vel Hæreditatem, sed tantùm, quoad vixerit, possidenda, non posse eum in uxorem transferre hoc Jus per modum Ususfructus post mortem ejus continuandum, uti in cap. Nuper. 6. de donat. Inter vir. & uxor. definitur.

Deducitur 2. Non posse Confessarium delegare alteri potestatem absolvendi à reservatis casibus, à quibus ipse absolute non potest, uti unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Eum, qui alteri vendit prædium variis conditionibus